LECTORI.

Catoniana Themidos ſtudia non ita alumnum me abripuere, quin innocuis Muſarum deliciis, quarum conſuetudinem a teneris ambivi, temporis quid indulgendum ſuperfuerit. Quidni e faſtidioſo ſenecionis Ulpiani muſæo ad amœniora Parnaſſi vireta quandoque liceat exſpatiari? Selegi thema a nemine, quantum ego quidem memini, hactenus decantatum. Dedit illud Ordo Equeſtris, a Sereniſſimo Electore noſtro CAROLO THEODORO *initio anni* 1768. *in memoriam feliciſſimi ac glo-*

glorioſiſſimi regiminis ſui quinquies quinquennalis erectus, dictusque a LEONE PALATINO. *Eodem quidem Illuſtriſſimi Ordinis natali anno carmen aliquod elaborare inceperam: ſed variis tum impedi.o difficultatibus nec coronidem ei imponere, nec ad inceptum, niſi feriis hujus anni ſeptuageſimi autummalibus, redire licuit. Quæ igitur tum temporis conſcripſeram, nunc non ad limam ſolum, ſed ad incudem omnino revocavi, ut aliam plane formam induerent. Abſcidi multa, plura adjeci, ſyſtema totum immutavi. Metrum hinc inde neglexiſſe videor: ſed ſtudio admodum feci, ut orationem aut redderem minus tortam, aut gravem magis. Alia quædam inſeruiſſe placuit, quæ ad Ordinem quidem Equeſtrem non pertinent, ad poema tamen, quod varia amat ἐπισοδια. Si quæ minus tibi arrideant, Lector!*

Corrige et edoceas cupidum meliora doceri. Vale. Heidelbergæ 15. *Dec.* 1770.



Quæ